
OANNIS BIDELLI
(*ANGLI*)
ACADEMIÆ OXONIENSIS
quondam
ARTIUM MAGISTRI
CELEBERRIMI

VITA.



LONDINI,

Typis DARBIANIS, MDCLXXXII.



49;00

JOANNIS BIDELLI
(*Angli*)
VITA.



Ihil est, opinor, difficilius, quàm virutes vitamque Virorum omni laude dignorum suis nominibus ac veluti suis coloribus depingere. Nam si quid fortè commemores quod verum non sit, etiam quod verum est, falsi permixtione in dubium adducis: sin verò quid omittas, quod maximè dignum memoratu fuerat, etiamsi cuncta quæ recenseas vera sint, multũ tamen de pretio perdunt, quod alioqui majus habitura fuissent. Fides in narrando veritatẽ utrobiq; tuetur. Illic cavet ne fictâ rerum imagine decipiat incautos; hîc ne veri suppressione bonis injuriam, virtuti fraudem faciat. Hæc non minùs scribenti contra calumnias, quàm illis, de quibus scribitur, contra iniquas dubitandi causas securitatem præstat. Hanc nos quoque vitam summi nostrâ ætate Viri

JOANNIS BIDELLI literarum tradituri monumentis conabimur sectari fuerique. Siquidem ea duntaxat hîc commemorabimus, quæ extra omnem dubitationis aleam posita, ne ipsi quidem ejus, si qui adhuc supersint, adversarii reprehendere valeant. Utemur etiam oratione non aut verborum ambagibus obscuratâ, aut sententiarum phaleris exornatâ, sed, quali consuevimus, & brevi, & simplici, & perspicuâ.

Ut igitur ab ovo, quod dicitur, rem ordiamur, lucem primò conspexit Bidellus anno post Christum natum millesimo sexcentesimo decimo quinto, circa initium mensis Januarii in oppido Comitatûs Glocestriensis *Wotton-underedge* nuncupato. Pater illi fuit Edvardus Bidellus, Mater verò Jana, ambo laudatæ inter ejus oppidi cives vitæ. Non quidem illis res valde domi lauta, ecu quos non ultra plebejorum sortem fortuna evexisset, verùm nec angusta nimis extitit. Præterquam quòd enim aliquam portionem agri possederunt, unde nonnulla vitæ subsidia perciperent, etiam honestas augendæ rei familiaris artes, vestes conficiendi pannumque vendendi, sectati sunt; eâ utrobique cordis integritate fideque agentes, quam benedictio de cœlo & approbatio multaque laus à popularibus, quibus longè propeque aliquantùm innotuerant, æquis comitaretur passibus.

Sed

Sed non est cur diutius circa hæc moremur: remotiora siquidem sunt quàm ut inde firma veræ laudis præsidia sibi quenquã posse petere arbitremur. Nascendi certè non minùs felicitas quàm infelicitas res est, quæ non adeò sapientem à rudi, bonum à malo discriminet. Cui sententiæ illud quoque veteris Poetæ succinit:

Et genus & Proavos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra puto.

Igitur ad illa festinandum potiùs, quæ propiora propriaque magis Bidello fuerunt, ex quibus & virtutes ejus æstimari, & solida ipsi laus promi queat conciliarique. Nimirum ut in herba, dum recens adhuc est, plerumque apparet qualis secutura sit messis; sic & in Bidello nimis adhuc puero haud vulgaris & sagacis ingenii, & probitatis animi, atque adeo rarissimæ, præsertim hoc effœto virtutum seculo, indolis fulserunt indicia. Tractandis etenim literis providâ piâque parentum curâ maturè admotus, tam felices brevissimo temporis spatio progressus in ipsis artis Grammaticæ tyrociniis fecit, ut non domesticorum modò, & quorum in oculis quotidie versabatur, sed & à familiari parentum consuetudine longiùs remotorum sortisque haud ignobilis virorum animos, facto ex occasione majori quam adeò immatura ferret ætas, suæ vel diligentiæ vel solertiæ documento, raperet in

 admi-

admiratione m. Quos inter omnes certè primum Domino Baroni *Barkely* magno & literarum amatori, & literatorum fautori, locum meritò damus, quem adeo rara hæc indoles Bidello conciliavit, ut rem non minùs dignissimam quàm æquissimam se facturum putaret, si, quantum in se esset, auxiliatricem ipsi dexteram porrigeret, ne tantæ spei puero tantoque ingenio debita cura culturaque deesset.

Quocirca etiam spectabili Domino *Barkely* placuit hoc Bidellum favore complecti, ut eum in libera Wottoniensi schola, ubi primùm illi mansuetiores Musas, easque veluti Patrias, salutare contigisset; pauperum studentium albo, quanquam decennis adhuc adeoque minor ætate esset, quàm per ejus scholæ leges illuc admitti deberet, bis quinque librarum beneficio in ipsum annuatim collato inserendum curaret. Neque Bidellus hanc sui promotionem, quâ velut aurâ lætiore ad magis sublimia provehi debebat, inaniter habuit; sed quò ipsum rara pro illa ætate rapiebat indoles auspiciis admodum felicibus, citius quàm reliqui, cum quibus in pulvere literario decurrebat (non tam ad vulgarem, præsertim postquam vires ingenii jam aliquantùm exercuisset, Magistri docentis normam oculos intendens, quàm suæ ipsius discendi methodo, facili quidem illi & suo magis accommodatæ
genio,

genio, firmiter inhærens) evolavit potius quàm eluctatus est. Quicquid enim vel pensi discentibus imponere, vel difficultatis objicere schola isthæc poterat, id quidem ipse non sine magno multorum applausu & confecit celeriter & domuit fortiter. Non hîc omittendum, quòd & Virgilii Bucolica, & duas Juvenalis Satyras priores, in elegantissimos linguæ maternæ rythmos, dum adhuc scholæ hujus esset civis, tanto cum judicio & gravitate transtulit, ut dignissimum Eruditi opus istud judicarent, quod in gratiam eorum, qui Poeticæ delicias artis sectantur, in publicum daretur. Quid quòd & Orationem latinam proprio marte elaboratam decorando funeri Nobilis cujusdam pueri, condiscipuli sui, coram frequentissima auditorum caterva tanta cum gravitate juxta ac suavitate recitavit, ut omnes omnino in summam sui raperet admirationem. Quò etiam accedit, quòd toto illo tempore, quo in hac schola versatus est, eam in ipso, præsertim jam adultiore, multi gravitatem observârunt, cujus rarissimè flexilis mortalium capax est adolescentia, quam à recto morum tramite haud difficulter in avia corruptelarum seculi vana blandimenta deflectant. Neque defuerunt, qui singularem quandam animi erga Deum pietatem, magnumque nogotiorum præsentis ævi contemptum, ad quæ capessenda vulgus mortalium

jam indè ab ipsa pueritia magno se molimine præparare solet, in Bidello animadverterunt. Nam & religio ipsi fuit tale quid unquam committendi, quo Numen offendi posse arbitraretur, & consilium curaque libris inhærendi, quorum auxilio castis morum præceptis pectus imbuere, artibus autem ingenuis mentem expolire posset: istâ tamen hîc moderatione usus est, ut interim dilectæ Matris haud oblivisceretur. Patre siquidem è rebus humanis paulo maturiùs excmpto, tantâ illam pietate observavit, tamque diligentem ejus gessit curam, ut ne hac quidem in parte quicquam illi deesset, quod alii, etiam ætate provectiores, meritò possent imitari. Sed his etiam missis, quæ cum sequentibus collata tenues duntaxat umbræ meritò censeri queant, ad illa jam progrediamur, quæ de Bidello Juvene Viroque memoranda sequuntur. Postquam igitur septennium in patria Schola hunc in modum transegisset, promotus in celeberrimam Oxoniensium Academiam, interque Magdalenensis Aulæ Clientes adoptatus, tempore legitimo Magister, ut vocant, Artium magna cum laude factus est. Quin ita rem literariam hoc in Athenæo tractavit, ut non illi modò, cum quibus arctior ei necessitudo intercesserat, ipsum sint venerati; sed & cæteri profundam ejus eruditionem magnopere suspexerint. Quicquid gloriæ,

gloriæ, quicquid famæ melioris Universitas isthæc vel in fortunata hac Insula, vel etiam apud exteros eâ tempestate habuit, illud certè non minùs Bidello quàm cuivis alii etiam præstantissimo ejusdem Civi acceptum ferri debuit. Sic autem hîc philosophatus ipse est, ut animadverti facilè potuerit haudquaquam ipsum illorum de grege fuisse, qui vulgaribus scholarum placitis addicti, non tam ratione quàm auctoritate ducuntur: quanquam in divinis non multùm à promiscua Theologoturba tunc dissentiret, quemadmodum ex ipsius de choreis libello, quem in gratiam amici cujusdam conscripserat, quique non ita pridem etiam ad manus nostras pervenit, haud obscurè colligimus. Ad hæc autem accedit, quòd non parvam laborum suorum partem, dum in hac Academia versatus est, etiam docendis Adolescentibus institutioni suæ commissis gnaviter impendit; quorum eximius in literis progressus, & famam ejus celebrem indies faciebat, & passim multorum eximiæ splendidæque sortis Virorum animos eidem magnopere conciliabat. Unde etiam factum, ut, dum fortè Schola Wottoniensis Rectore destitueretur, ista provincia calculis multorum ejus virtutes & eruditionem pro dignitate æstimantium, ipsi deferretur; quam tamen ille, memor Wottonum Oppidum esse, ubi & editus in lucem, & eductus ad septimum

ptimum ſupra decimum ætatis annum fuiſſet, veritusque ne propterea minore cum fructu, quàm alioqui Scholæ requireret dignitas, eam adminiſtrare poſſet, non minùs prudenter quàm modeſtè recuſavit; ſic tamen ut interim alium pro ſe juvenem haud equidem pigrum, iſtique moli ferendæ parem Wottonienſibus commendaret, ſucceſſu haud irrito. Sed nec in Bidelli res ea præjudicium ceſſit, quin imò luculentam eidem ad meliora peperit occaſionem. Mox etenim contigit ut & libera Criſpi Schola in Urbe Gloceſtria novi Rectoris curam flagitaret. Eam igitur Bidellus, non tam Primariorum in Univerſitate, qui teſtimoniis ipſum ampliſſimis ornaverant, inductus commendatione, quàm importunâ Gloceſtrienſium, ad quorum aures famæ ipſius celebritas jam dudum pervenerat, victus flagitatione, quadrageſimo primo ſeculi præſentis anno ſuſcepit, ſuſceptam tanta cum dexteritate fideque adminiſtravit, ut non parùm ſe felices arbitrarentur, quotquot ſuos ejus inſtitutioni filios commiſiſſent. Unde etiam non contemnenda pecuniæ vis in ipſius manus eâ tempeſtate defluebat: non quòd magni per ſe iſtius Scholæ eſſent reditus; ſed quòd crebra ipſi amplaque ab eorum opulentioribus, de quorum liberis optimè meritus fuiſſet, mitterentur donaria. Non tamen aut nimia plus habendi cupido ipſum urebat,

aut

aut immoderatum ejus quod habebat retinendi ſtudium angebat. Felix certè ſeculi contemptor, quem non Chriſtiana minùs quàm cauta mentis moderatio ſalvum utrobique, illic quidem ne in Scyllam, hîc ne in Charybdin incideret, pulcherrimè ſervavit. Atque circa hoc tempus non mediocris in rebus uſu commendabilibus, maximè autem in divinis, veritatem detegendi tuendique ardor pectus ejuſdē cœpit, qui proinde ne quâ ratione in ipſo quaſi ortu ſopiretur, & optato tandem fruſtraretur effectu, depoſitis præjudiciorum quæ prius temere admiſiſſet impedimentis, frœnatoque partium ſtudio & affectu rationi ſubdito totum ſe judicandi de controverſiis circa Religionem libertati dedit, omnia pro viribus exploraturus, & quod optimum videretur firmiter amplexurus. Quo etiam ipſo factum eſt, ut ſcripturas ſummâ quâ poſſet diligentiâ ſcrutando, & pro Spiritûs Sancti illuminatione calidiſſimis ad Deum precibus immorando, receptam vulgò de Trinitate opinionem haud extra aleam juſtæ dubitationis poſitam eſſe deprehenderet, eamque proinde validis objectionibus non tam ex libris Socinianorum, quos nondum ipſi videre contigerat, quàm ex ipſo Scripturarum Sacrario, necnon ſanæ rationis penu depromptis, quoties occaſio ferret impugnare non cunctaretur. Quod cùm nonnulli contrariæ,

&

& per tot jam ætates Christianorum socordiâ inveteratæ opinionis zelotæ, nequaquam ferre valerent, gravi ipsum accusatione apud Magistratum deferunt, coram quo etiam, velut in jus solemniter vocatus, de quere tanti, ut videbatur, momenti respondere jussus, alacris compareret, formulam Confessionis de Deo chartæ mandatam secum afferens, quam hunc in modum concinnaverat.

Die 2 Maii 1644.

I. *Credo unam essentiam infinitam & omnipotentem, quæ Deus vocatur.*

II. *Credo ut unam infinitam & omnipotentem essentiam; ita unam in eadem essentia personam.*

III. *Credo Servatorem nostrum Jesum Christum esse verè Deum; verè, reipsa & propriè unicum cum una persona essentiæ infinitæ & Omnipotentis.*

Sed cùm hæc Confessio Magistratui, ut videtur, non satisfaceret, aliam confecit sequentibus expressam verbis.

Die 16 Maii 1644.

Credo in obedientia Scripturæ, (quicquid demum illud sit, quod vel verbis antehac vel scripto defendi) quamvis una sit essentia divina, tria tamen in ea esse, quæ vulgò personæ vocantur, Christumque Servatorem nostrum verè Deum esse, quatenus unum cum secunda essentiæ divinæ persona

sona factus est. Atque in hac fide, juvante Deo, perseverabo, donec majorem in contrarium ex verbo Dei consequar evidentiam.

Utrum autem Vir hic ob metum magis quàm ex prudentia Confessiones adeo discrepantes, intra tantilli temporis gyrum, unam post alteram voluerit conficere, nemo nisi valde temerarius definiat, cùm certum sit ipsum obscuras adhuc incertasque nimiùm eâ tempestate notiones illarum de materia animo concepisse: quo in casu quis quæso novit, qualem approbaverit libertatem, quâ veluti legitimâ sibi in tanta dubitationum perplexitate utendum salvâ conscientiâ judicaret? Verùm quicquid ejus tandem sit, ita profectò Bidellus deinceps se gessit, ut ne ipsa quidem invidia quicquam in ipso adeo seu carpendum sive culpandum deprehendere posset. Nimirum brevi pòst tempore per jugem in sensus Scripturæ inquisitionem auxiliique Numinis implorationem id ille consequutus est, ut vanescentibus paulatim erroribus, quibus antè non modò se implicitũ suspicabatur, sed & quadantenus sentiebat, luceque veritatis divinæ mentem ejus magis ac magis illuminante, quid de Trinitate, maximè de Spiritu Sancto credi consentaneum divinis oraculis esset, se deprehendisse prorsus tandem persuasum haberet: id quod ipsi summum gaudium amplissimumque solatium peperit.

Unde

Unde etiam, ne tanta Dei gratia, favorque tam eximius in cassum sibi cœlitus obtigisse meritò censeretur, si officii sui partes pro viribus implere negligeret, veluti fidelis Jesu Christi servus, consilio cum carne & sanguine conferendi seposito, abruptâque omni in posterum morâ, constituit eam rerum agendarum viam ingredi, quæ præclaro ipsius proposito maximè consentanea foret: nimirum ut alios quoque mortales ab erronea de tribus in Deitate personis opinione divinis auspiciis abduceret, inque ipsius hac in controversia veritatis possessionem introduceret. Et sanè haud facilè quisquam existimare queat, non tam reverentiam honoremque Dei, propriamque adeò ac aliorum salutem, quàm vel malitiosam vulgò receptis apud Christianos de Trinitate opinionibus contradicendi libidinem, vel famæ apud eos, qui nulla prorsus quæ justa sit urgente causâ, partes libentissimè aut faciunt aut sequuntur, captandæ studium fuisse, quòd Bidellum ad hanc rem constanter capessendam impelleret, si modò hîc illud duntaxat æquo ut par est animo consideret, ipsum, quamvis jam non tantùm passim honore floreret, rebusque uteretur apprimè secundis, sed & ad opimum matrimonium cum fœmina quadam honestis natalibus orta magnisque conspicua virtutibus contrahendum luculentam haberet occasionem:

nem : quò tamen stadium, in quod pedes jam intulerat, faciliùs decurrere, & eximium ad quod toto ferebatur impetu facinus exequi feliciùs valeret, omnia ista blandientis seculi munera generosè contempsisse, seque a deòcunctorum odiis, difficultatibus innumeris, duris persecutionum malis, ac etiam violentæ, si ita supremo rerum humanarum Arbitro collibitum fuisset, morti exposuisse. In persequendo autem hoc animi decreto prima ipsius cura fuit, quàm esset erronea vulgò recepta de Deitate Spiritûs Sancti doctrina, amicis sacratiori necessitudinis vinculo sibi junctis demonstrare. Mox quò ceteri quoque populares ejus simplicem hîc cernere possent veritatem, argumenta quædam, pauca quidem illa, si numerum spectes ceterum invictis armata viribus contra eandem Spiritûs Sancti suppositam Deitatem conscripsit inque publicum edere constitui, sed irrito tunc successu. Etenim perfidiâ cujusdam qui se in Bidelli amicitiam callid insinuaverat, res statim hæc innotuit cùmè Magistratui istius loci, tum etiam delegatis contra Regem Parlamentariis ibidem commorantibus : eâ siquidem tempestate bellum inter Regem & Parliamentum erat. Quapropter Bidellus, quamvis cum gravi conflictaretur febri, in publicum Comitatûs carcerem secundo die Decembris anni millesimi sexcentesimi

qua-

quadragesimi quinti conjectus est, detinendus ibidem donec commoda se offerret occasio ipsum Londini coram Parliamento sistendi, quò pœna illic qualis ipsis videretur eidem infligeretur. Cæterum Vir quidam eminens in Glocestria, motus sive indignitate rei, quæ in ipsum illic imprimis loci patraretur, ubi adeò esset propter sua merita celebris, seu potius miseræ conditionis ejus longique temporis consideratione, quo ipsum verisimile esset iri detentum in carcere, libertatem ei procuravit, datis fidejussoribus, fore, ut Londini quocunque demum ipsis tempore videretur coram Parliamento appareret. Juxta quod etiam sex mensibus vixdum exactis citatus ab iisdem Londinum se recepit, seque paratum ad sui defensionem adesse Parliamento quàm humillimè significavit. Neque multùm in cognoscenda ipsius causa primò cunctatum est. Mox etenim Delegatis quibusdam examinandus committitur, atque rem, cujus accusaretur nomine, scilicet quòd vulgò creditam Spiritûs Sancti Deitatem negaret, ingenuè coram ipsis agnoscit: sed quò appareret evidentiùs quàm ab omni obstinatione procul abesset, ultro ad disputandum hac de Controversia cum Theologorum quovis, quem illi judicarent idoneum, se offert, ut si fortassis error quod tueretur esset, ejus ab ipso convinci hac ratione posset. Verùm nihil

nihil indè præter tædiosas procrastinandi moras obtinuit, donec tandem longâ non minùs quàm sumptuosâ fessus expectatione literas ad quendam Equitem Auratum, qui Parliamenti membrum èque Delegatis unus erat; exaravit, efflictim ipsum rogans ut aut indemnitatem sibi procurare, aut saltem Parliamento notum facere vellet, suppositam duntaxat Spiritûs Sancti Deitatem à se negari. Et quò id Eques iste præstare posset accuratiùs, cùm opinionem suam de eodem Spiritu Sancto, tum rationes ac fundamenta, quibus ea niteretur, iisdem in literis, plenè ac planè exposuit. Sed nihil exinde secutum aliud quàm arctior ad tempus custodia calamitasque durior. Erat siquidem tunc temporis Theologorum plùs minùs quadringentorum, sed qui omnes disciplinæ Scoticæ seu potius Genevensis essent Zelotæ, Synodicus Westmonasterii Consessus, è quibus nonnullis eruditione præstantibus mandatum est ut desideratæ convictionis ergò disputandi cum ipso munus exequerentur. At illi postquam ventum ad rem esset, tantum abest ut suo satisfecerint officio, ut potius Catecheticum sub examen ipsum trahere voluerint, adeò ut ægre quenquam eorum ad serium strictumque potuerit discursum inducere, quanquam sæpius coram ipsis comparuisset. Quin adeò cum eis egit ingenuè ut sua adversùs Spiritûs

Sancti Deitatem argumenta chartæ mandata ipsis tradiderit, quò solidum ad illa responsum ab eis extorquere posset. Ast dum illi quidem cùm hac tum aliis cum ipso agendi rationibus parùm se proficere posse arbitrati animum de ipso ad partes suas pertrahendo despondèrent, nihil imposterum sibi agendum existimârunt, quàm ut potestate seculari potius quàm armis spiritualibus contra ipsum uterentur. Proinde id totis postea viribus egerunt, quò Parliamentum, utpote penès quod rerum eâ tempestate summam esse, quodque sibi præ cæteris favere crederent, ad condendum ejusmodi scitum inducerent, quò ipsius de Spiritu Sancto opinio crimen efficeretur mortis piandum supplicio, quòdque pœnis in omnes qui diversum à Scotica seu Doctrina sive disciplina sentirent, eâdem operâ constitutis pariter sanciretur, id quod etiam facilè obtinuerunt, Lege Draconis sanguine contra Hæreticos & Blasphemos ab eodem Parliamento ipsorum in gratiam scriptâ, dieque secundo Maii anni millesimi sexcentesimi quadragesimi octavi solemniter promulgatâ. At longè secus in æquissimo cœli foro constitutum erat, providente Deo, qui summus rerum humanarum Arbiter est ac Præses, ut Lex adeò inhumana crudelem Zelotarum istorum frustraretur expectationem. Exercitus enim, qui tunc pro Parliamento Regias

contra partes eo consilio militabat, ut sua Religioni libertas per eos vindicata laborum non minùs quàm periculorum ipsis posterisque desideratissima tandem obtingeret merces, sanguinariam hanc legem, quòd æquissimæ rei, libertati inquam conscientiarum, adeò esset inimica ferre minimè potuit. Proinde volens tantum in ipso statim exortu malum supprimere, ne contemptum innumeros etiam de ipso exercitu diversæ quidem circa divina sententiæ cæterum probatæ pietatis mortales mox in certissimam & cum foedissima Christianæ mansuetudinis humanitatisque violatione conjunctam raperet perniciem, vim contra Dominos sine mora vertit, Parliamentum obsedit, eoque à violentis quibusque nec non sanguinariis purgato, Synodicum quoque Theologorum Conventum eâdem operâ dissolvit, utpote quo cum ea libertas quæ tam avidè captabatur quærebaturque consistere neutiquam posse videretur. Atque hunc in modum gravi periculo, quod non Bidello tantùm sed & omnibus aliis, qui diversum in Religione à Presbyterianis sentirent, crudelissimi struebant Censores, provida militum manus rem Deo coelitus moderante remedium attulit. Non tamen Bidellus plenam tunc consecutus est libertatem donec septem elaberentur anni. Quod tamen impedire ipsum haudquaquam potuit, quominus

 quantum

quantum in se esset Christianæ veritatis causam promoveret. Quare duodecim contra Spiritûs Sancti Deitatem argumenta, jam antè elaborata preloque destinata, sed, ut diximus, impedita tunc demum in lucem edidit, quibus anno proximè sequenti suam de Sacrosancta Trinitate Confessionem unà cum illustribus quorundam Patrum, qui vicinioribus Christo seculis vixerunt, testimoniis pro se facientibus itidem Typothetarum operâ comitem dedit. Durante autem septennali hac ipsius restrictione, nemo è Synodici Consessûs membris, nemo etiam de reliqua mortalium istius professionis turba inventus est, qui vel semel eum invisere dignaretur, præter unicum Doctorem Gunningium, id quod utique haud satis scio, metui, ne erroris ab ipso convicti recederent, an charitatis in afflictum defectui, an etiam utrique isti adscribendum. Nec verò his duntaxat hominibus sed horum artificio cæteris etiam ferè omnibus invisus ipse extitit, ut admodum ei fuerit difficilè cum ullo mortalium conversandi opportunitatem nancisci. Quod si quis etiam ingenuus atque veritatis amator, fortè aut studio in ejus incidit consortium, quod nonnunquam factum, magnæ felicitatis loco ducebat, si vel hoc demum ab eo posset impetrare, quo suæ sententiæ si non penitus assentiretur, saltem quadantenus faveret. Atque ita tandem

dem per gradus nonnullos, non Londinenses modò, sed & alios aliorum locorum homines, sibi conciliavit, quos inter erat Comitatûs quoque Staffordiensis Irenarcha, quo cum, data Officiario, cujus custodiæ demandatus esset, securitate fore, ut monitus ad eundem omni procul habitâ fraude reverteretur, in memoratum se contulit Comitatum, ubi non solùm à Sacris illi domesticis aliquamdiu fuit, sed & in quadam æde Parochiali mox ad publicè concionandum eodem procurante admissus est. At non multò pòst hoc etiam innotuit judici Bradshawo tunc Concilii status Præsidi, capitalique ipsius inimico, qui proinde ipsum iteratò Londinum misit arctiùs quàm antè habendum. Moxque Irenarcha quem diximus moritur, eique non contemnendam pecuniæ summam testamento legat, sed quam, ut & omnem antè substantiam inter voracissimi carceris incommoda celeriter consumit, ut nihil jam restet, quàm ut cum gravi indigentia nec non difficilibus vitæ angustiis de novo luctandum ei sit. Nempe ita Deo placuit etiam isto calamitatis genere ipsius hoc quoque tempore, ut sæpe alias, exercere patientiam, ne quid omnino deesset, quò illa redderetur illustrior atque suis numeris absolutior, sic tamen ut illis etiam benignis suæ providentiæ muneribus eam temperaret mitigaretque, quatenus

 nimirum

nimirum sortis asperitatem opportuno remedio aliquantum emolliendi viam ipsi commodam monstravit, postquam apud eruditum quendam Virum Londini degentem gratiam haud vulgatem inivisset. Erant siquidem nonnulli quibus in animo esset græcam Veteris Instrumenti Versionem à Septuaginta Senioribus elaboratam operâ Danielis Rogeri Typographi Londinensis quàm accuratissimè in publicum edere, sed quibus Corrector linguæ istius eximiè peritus atque diligentiæ haud suspectæ deesset. Is proinde Bidellum, existimans ipsum medicando huic defectui præ ceteris quos nosset aptum, illis seriò commendat operique præficiendum persuadet. Quæ res ipsi certè, præter eximiam, quam à Viris doctis reportavit, laudem, ingens quoque peperit solatium, consideranti quòd indè sibi vitæ mortalis tolerandæ subsidia ministrarentur unde monstrantia certissimum ad æternum iter monita depromere jam dudum summa cum animi voluptate consuevisset. Neque citius finem operi tempus attulit, quàm ipsi quoque plenam post tam diuturnos carceris squalores libertatem cœli restituit favor, virtute nimirum Decreti generalem amnistiam continenti, quod Parliamentum die vicesimo quarto Februarii anni seculi præsentis quinquagesimi primi ad animos populi post plurimas gravesque Ci-

vilis

vilis discordiæ tempestates ac pericula componendos opportunè promulgaverat. Atque ita suæ iterum potestatis factus, sedem commorationis suæ Londini figendam putavit, non modò quòd sibi non satìs esset integrum opus memoratum, cui admotus esset, aliaque ejus generis deserere, sed etiam quòd è re id existimaret cùm sua tum Amicorum, quos ea in urbe sibi jam comparâsset, maximè verò quòd locus iste omnium videretur esse aptissimus ad animi decretum, quod ante omnia sibi de promovenda veritatis Euangelicæ doctrina constituisset, non minùs constanter quàm utiliter exequendum. Quare etiam, ut reliqua nunc taceam Viri minimè oscitantis molimina quæ non parùm hanc in rem contulisse palam est, matutinas cujusque diei Dominicæ horas explicandis novi Testamenti libris in amicorum gratiam impendebat, pomeridianas verò consumebat in examinandis earum, quæ tanquam Orthodoxæ vulgò apud Christianos obtinent, opinionum fundamentis, atque iis quàm essent ruinosa, magno cum judicio demonstrandis, id quod ille non aliter facere consueverat quàm ut cùm ipsemet omnia quorum recordari posset argumenta, quibus istarum opinionum Patroni non minùs ad sibi satisfaciendum quàm ad alios quoque eisdem sese opponentes convincendum uterentur, fideliter proponeret,
 tum

tum etiam ceteris liberam concederet potestatem tam ea quæ jam attulisset contra ipsum urgendi, quàm nova quæ fortassis omisisset in medium producendi, idque non minùs ex scriptura sacra quàm ex ipso rectæ rationis thesaurario. Quæ omnia adeò faciliter atque solidè suis enervavit responsis, ut vel in suam Adversantes pedibus ire cogeret sententiam, vel eò certè ipsos deduceret ut nihil quod regererent ampliùs habere palam deprehenderentur. Quid quòd, ut veritatem Christianam tantò promoveret efficaciùs, etiam genuinam anno 1654 vulgavit Catechesin isto concinnatam artificio, ut ex ipsis scripturæ verbis dilucidæ responsiones veræ religionis principia summatim comprehendentes singulis per totum ejusdem corpus quæstionibus accommodatæ essent, ne ullus adversariorum cavillis relictus meritò censeri posset locus. Nec verò hi ipsius conatus eximio caruerunt fructu plurimis brevi temporis spatio mortalibus ei quam urgeret defenderetque doctrinæ suum accommodantibus assensum, id quod ministros Londinenses haud mediocriter commovit. Qui proinde hoc sibi ante omnia agendum incumbere censuerunt quò junctis strenuè viribus eas in animis auditorum suorum opiniones, quas Bidellus tam acriter tamque strenuè iret impugnatum, magis ac magis firmarent. Unde

etiam factum ut ipsi suggestus in Templis dura mox Anathemata acerbasque contra ipsum exclamationes terribilem in modum passim effulminarent. Quid quod & in ipsos Bidelli Sectatores tam dirum iidem conceperunt odium, tantum quod suas interdum objectiones eis, & quidem privatim, solvendas proponerent, ut non auditores modò suos impulerint ad vitandum omnem conversandi cum illis deq; Religione conferendi occasionem, sed & ipsimet quodam veluti zelo mutuæ securitatis accensi, suis in conventibus quos vocant Classicis maturè caverint, ne quisquam Ministrorum Ecclesiæ cum illorum quopiam discursum institueret nisi alter ad ferendum si opus foret auxilium præsens adesset Presbyter. Cæterum illud ipsos quàm maximè urebat, quod statuto nuper Authoritate publica promulgato de mutua differentium inter se circa Religionem Tolerantiâ impedirentur quo minus dirum suæ crudelitatis ac violentiæ in virum hunc omni ex parte innoxium virus ac flammam evomere possent, ut quod unicum videretur remedium quod obturando ipsius ori foret idoneum. Non multo post congrediendum ei fuit cum magis nobili adversariorum genere, quos inter principem locum obtinuit memoratus antè Doctor Gunningius, nunc Regius Cantabrigiæ

terbrigiæ Professor, Vir non minus eruditione quam disputandi subtilitate celebris, tantoq; defendendæ vulgaris Doctrinæ zelo correptus, ut & neutiquam sibi posset temperare, quin eandem à Bidelli exceptionibus suo vindicare patrocinio publicè aggrederetur. Quocirca die quodam Dominico in ipsius conventum longo suorum comitatus agmine venit, ubi multis eum argumentis ad evincendam spiritûs Sancti Dietatem Supremam undiq;-corrasis adoritur ac fortiter impugnat, donec tandem opponendi labore penitus fatigaretur diesq; in tam acri conflictu planè consumeretur. Non tamen Gunningius cœptum opus deserit, sed mox sequenti die Dominicio rursus in conventu certamen vedintegrat, ipsumq; Filium Dei non minùs quàm Sanctum nuper Spiritum summum esse Deum evincere laborat. Sed quid tandem? Certè ut sua Doctorem post exantlatum tanti moliminis laborem expectatio fefellit, ita Bidelli causa plausibilior multo nec non veritati consona magis quàm partis adversæ apparuit, ut taceam singularem ejus eruditionem, judicii soliditatem, sensusq; in Scripturis exercitatissimos hoc experimento cunctis non sine magna nomins celebritate pariter innotuisse. Quo accedit quod aliquanto post tempore, dum Bidellus in Doctrina de satisfactione
Christi

Chriſti deq; ejus in terris Sacerdotio examinanda occuparetur, denuò Doctor ipſum adoriri voluerit, exiſtimans hoc tertio conflictu ſuam, apud ſuos præſertim, famam prioribus non nihil obſcuratam diſputationibus priſtino ſplendori feliciter reſtitui poſſe, quod ſperaret ipſum languidiùs hîc quàm alibi pugnaturum. At Bidellus tantâ rurſus dexteritate ſuas egit partes, ut non minor ejus in hâc exercitatio quam in ulla alia circa Religionem controverſia fuerit deprehenſa, ipſeq; adeò Doctor ſit tandem cum ſingulari quadam admiratione faſſus adverſarium ſuum eruditionis ampliſſimæ valido undiquaq, munitum eſſe præſidio. Atq; hoc genere certaminum ſeſe Bidellus exercuit uſq; ad initium Decembris Anni 1654, qui Cromvellianæ Dominationis ſecundus erat, quo tempore longè iniquiùs ipſum quàm unquam ante ſeculi violenta cœpit divexare crudelitas. Parliamentum etenim quod tunc primum coëgerat Protector Cromwellius inimicis Bidelli juratis ingenio perquàm ſimile provocari non difficulter ab eis adversùs ipſum potuit; cujus proinde mandatu mox apprehenditur, ſiſtitur apud tribunal interrogatur num ſe Authorem geminæ Catecheſeôs Scripturalis agnoſceret? At ille volens occaſionem eis plura quærendi, quibus forte irretiri poſſet, præripere,

ripere, pro reſponſo hoc iis proponit, num rationi conſentaneum exiſtimarent, ut quis ſe accuſet, qui licèt rei tractetur inſtar, nullo tamen ſit obſtrictus crimine? Quo illi audito omnem ulterius inquirendi laborem ſeponunt, ipſumque tertio Menſis paulò antè memorati die Weſtmonaſterii publicum in Carcerem *Gate-houſe* nuncupatum conjiciunt, ibidem abſq; omni Atramento, Charta, Calamoq; Scriptorio, quin & amicis ipſum inviſere prohibitis, in arctiſſima cuſtodia detinendum, donec pœna eidem infligenda conſentientibus omnium calculis decerneretur; ipſam autem catecheſin unà cum duodecim argumentis ſupremam Spiritus Sancti Deitatem impugnantibus & Fidei de ſacro ſancta Trinitate Confeſſione Weſtmonaſterii ad Palatium & Londini ad vetus Excambium per manum Carnificis igni comburendam tradunt, & quamvis communi mortalium opinione nihil mitius hoc tempore quàm ignominioſa Bidello mors impenderet, non modo quòd cum ejus libris taliter eſſet actum, ſed etiam idq; vel maximè quòd eo cuncta viderentur inclinare dum cauſa ipſius coram Delegatis Parliamenti diſceptaretur, ipſe tamen interim magno lætoq; animo fuit ſperans ſe numinis providentiâ crudelibus eorum manibus ereptum iri. Neq; ſpes hæc ipſum fruſtrata eſt Protectore Parli-
amentum

amentum citius quam destinata exequutioni mandare possent dissolvente id, quod tamen ille non tam intuitu Bidelli quam proprii emolumenti causâ fecisse videatur, subodoratus noxia quæ contra se quoq; furoris æstro perciti homines eodem tempore in Parliamento soverent agitarentq; consilia. Neq; homini politicis artibus imbuto ratio quâ factum excusaret plausibilis defuit: Ita dum suæ callidus securitati consulit, arbitrariæ Parliamenti Potestati ne dicam Tyrannidi fato Bidellum felici subducit. Et quamvis vel ex ipsis carceris claustris palam ipsum eruere debuerat, ut qui dum Reipublicæ capesseret clavum, non temerando jurisjurandi sacramento sese ad tuendam sectæ cujuslibet, si modo papisticam excipias, hominum, quotquot in Deum per Jesum Christum crederent, in Religionis exercitio libertatem obstrinxisset, tantâ tamen hic diligentiâ cavit, ne, quos sibi certò sciret infensos, veluti crabrones suum in caput irritaret, ut necesse Bidello fuerit in ipso superiori Banco causam pro suo quod vocant *Habeas corpus* orare, cujus virtute factum est, ut coram judicibus ejus fori sisteretur, nulloq; in *Mittimus* (Juris Anglicani terminus is est) expresso crimine cujus ipsum nomine Lex restringendum juberet, suæ ab iis libertati 28 Maii, 1655. tandem restitueretur. Atq; ita haud
vel

vel malorum quibus afflictus fuisset acerbitate perculsus, vel gravibus adversariorum minis perterritus, consuetum rursus veritatem pietatemq; propagandi iter ingreditur, tanto quidem jam alacrius quanto Patientia Virtutem sordidâ didicisset esse præstantiorem Ignaviâ. Cæterum vix ante annus exierat, quàm invidia facibus inferni succensa nocendiq; libido insatiabilis Adversariorum, quà Ministrorum, quà Bibliopolarum Londinensium, novam ipsi perniciem machinari cœptaret. Occasio consilii ab omni humanitate plurimum abhorrentis Anabaptistæ nonnulli fuere, cujusdam Griffini proletarii quidem sed ad modum turbulenti concionatoris auditores, quos Bidellus multiplici errore animis ipsorum excusso suas in partes cum plurimis aliis pertraxerat. Iste enim Griffinus, simul ac isthæc res ipsi innotuit, & Magistrali quodam supercilio contemnens quicquid pro contrariarum opinionum defensione non ab iis modo qui primoribus duntaxat ut ajunt labris eas degustassent, verum ab exercitatis etiam quibusvis adduci posset, & Fiduciâ quâdam inconsultâ sibi persuadens fore ut cum quos è Discipulis contraria persuasio avertisset tempestivum remedium corrigeret, tum quos nondum dilabi contigerat audax ipsius cœptum ad perseverantiam firmaret, dissentientes

ſentientes ad certamen publicè provocat, ipſumq; inter cætos Bidellum quo cum manus conſerat ſibi depoſcit Antagoniſtam. Hanc provocationem quamvis Bidellus ad tempus declinare voluerit exiſtimans haud adeò vel ſibi vel veritati magno id honori fore ſi victoriæ palmam Adverſario præripe-ret, quem in eruditione multis poſt ſe paraſangis omnium judicio relinqueret; nihilominus ab amicis tandem perſuaſus accipit conditionem, ſeq; tempore conſtituto hominis repreſſurus inſolentiam in ſacello quodam, ubi ſtatis diebus divini cultus causâ auditores Griffini convenire ſoliti eſſent, paratum ad pugnam ſiſtit. Griffinus introductionem pro more ad diſputationem facit, ſed quam facile quivis ſuſpicari potuerit ab homine haudquaquam ingenuo ne dicam peſſimè Biddello cupiente profectam fuiſſe. Quamvis enim non neſciret malitioſos ipſius adverſarios unâ præſentes adeſſe qui nihil aliud animo volutarent, quam ut ei perniciem verbis ipſius interpretatione pravâ detortis accelerarent, aſſignata tamen quam eo tempore probandam ſuſcepiſſet propoſitione, rogat num quis illic foret qui eam negaret, etiamſi de præſentia Bidelli ejuſq; propoſito ſatis eſſet certus. Sed hac agendi ratione tantum abeſt ut terrorem Bidello incuſſerit, ut potiùs occaſionem ei
dederit

dederit ad cunctis ostendendum quàm non facilè vanis mortalium terriculamentis ab arce causæ suæ deturbari se pateretur. Proinde generosi militis instar, nihil pensi habens quicquid captâ inde occasione adversarii pessimo artificio essent in ipsum molituri, ut etiam certè non nihil postmodum sunt moliti, dum magnarum ei calamitatum causa extitere, eam admodum liberè veram esse negat, Griffinoq; si possit probandam injungit. Cæterum quam gravis hominem statim ab initio exceperit confusio quàmq; ægre pleriq; ipsius amici tulerint, quod Bidellus causam, cui defendendæ tantus ut credebatur obtigisset Advocatus adeò facilè labefactaret, ut alia nunc mittam, ipse liquidò satis monstrare possit eventus. Finito siquidem isto ad præsens conflictu dieq; and novis iterum auspiciis congrediendum nonnullis qui paulò moderatiores essent instantibus delecto, quò sua Bidellus contra supremam Christi Deitatem argumenta mutatis jam proponeret urgeretq; vicibus, antequam is affulgeret dies, importunâ furiatorum quorundam hominum Griffinianis partibus æquo plus studentium invidiâ metusq; mandatum a Protectore extorquet, cujus Virtute Bidellus 3. Julii 1655. in carcerem Londini compingitur, moxq; in publica Civitatis Curia, ubi criminales causæ

statis

ſtatis temporibus diſceptantur, coram judicibus capitis ut præſumebant, ab iiſdem juxta cruentum illud, cujus & ſupra meminimus, decretum à Parliamento quidem contra blaſphemiam hæreſinq; factum, cæterum jam obſoletum, ſiſtitur damnandus. Sed Providentiâ Dei longè res aliter quàm impia ſibi crudelitas imaginabatur cecidit. Poſtquam enim Bidellus *Conſilii beneficium* ex æquo & jure ſibi debitum ſupplex à judicibus petiiſſet, quò ſe commodiùs adversùs *Indictamentum* (juris id Anglicani vocabulum eſt ſolemnem in foro accuſandi formulam) debitis poſſet exceptionibus defendere, eiq; non modo negatum id ab illis, ſed & *ſententia muti*, quam vocant, data in ipſum fuiſſet, tantum quòd ſuum adeò jus pertinaciter urgeret, periculumq; jam eſſet ne ea pro more fori publicè perlecta, non ſibi utcunq; damnoſa modò ſed & exitialis foret, tandem ſe ad proponendum urgendumq; ſuas accingit exceptiones, eòq; rem felicibus deducit auſpiciis, ut judices, plaudente interim populo, planè confundantur, atq; hæreant perplexi abſolvere ipſum an condemnare debeant. Utrumq; ſiquidem gravi urgebatur incommodo. Illud etenim à ſtudiis votiſq; plurimorumnimis abhorrebat. Hoc ne facerent Protectoris ipſorum certè Domini haud parùm intererat: Neq; enim

C profectò

profecto ipsum condemnare poterant quin actum eo ipso committerent nullo excusandum prætextu, ut qui non ab illis modo sed & à reliquis omnibus qui non vagis auribus ejus hausissent orationem ipsa Dominationis sub qua tunc agerent fundamenta palam convellere deprehenderentur. Cæterum postquam diu hac de difficultate fuisset à judicibus deliberatum, neq; tamen quicquam hanc aut illam in partem tutò posset ulla ratione statui, placuit tandem ulteriorem causæ cognitionem in proximè sequentem consessum differre. Interea Londini non paucæ congregationes privatæ, Anabaptistarum imprimis, perpessiones Bidelli suas quodammodo ratæ, maximè quod ejusmodi constitutione Parliamenti niterentur, quæ cum libertate Conscientiæ, quam Protector in Gubernationis, ut vocant, instrumento promisisset, nudo pugnaret vertice, unanimi consilio supplicem Protectori libellum exhibent querelæ primum in eo ob injurias Bidello, viro certè perquam digno qui libertate memorata frueretur, illatus, deinde etiam quam humillime ipsum rogantes, quò non modò debita eidem Bidello conditionis laxitas concedatur, sed & toties memorata Parliamenti constitutio nullius esse roboris declaretur, utpote cui, si viribus adhuc armata credatur perinde omnes alii, quot-
quot

quot a Presbyterianorum abhorreant placitis, ac ipse Bidellus futuri sint obnoxii. At Protector mox animadvertens fore ut si isti quidem petitioni subscribat actum planè sit de amicitia Presbyterianorum, quos imprimis etiam sibi reddere quærebat obnoxios, si verò palàm repugnet, animos supplicantium, quos supra cæteros bene sibi cupere deprehendisset, in justum sui flectat odium, callidâ quâdam solertiâ hic utendum existimat, & dum rimas quærit, quidam è supplicantibus ipsi nimium obnoxius, falsâ socios labe fidei non satis probatæ respergit, id quod ille velut opportunum medendæ difficultati remedium avidus arripit, ipsosq; libelli supplicis exhibitores re penitus infectâ dimittit. Præter hanc petitionem ipse quoq; Bidellus, dum adhuc intrà carceris claustra detineretur literas ad Protectorem exarat, orans eum efflictim quò sibi dare facultatem dignetur suam ei causam pro ut revera se habeat coràm explicandi, quòd videret eam non rectè ab adversariis fuisse repræsentatam. Sed nihil omnino proficit. Quamvis enim Protector id se facturum initio nonnullis Bidelli amicis promittat, postea tamen victus à quibusdam ut credi par est Ministris, quorum in istiusmodi casibus ipsi suetum erat consiliis obsequi, conscius etiam quantum Bidellus ser-

mone rationum librato momentis valeret, tantum abest ut eum coràm differentem audire sustineat, ut potius à se longiùs quàm ante removendum decernat. Neque diu profectò cunctatum hîc fuit. Mox etenim Protector hebdomadis tribus aut quatuor vixdum exactis (5 Oct. 1655.) ipsum in Insulam Syllæ transportandum ibiq; in Castello Mariæ sub arcta detinendum custodia jubet. Cæterum occursurus odio, quod hinc facilè plurimi quibus alia quàm Presbyterianis mens foret, in ipsum ac præsentem rem publicam administrandi rationem concipere poterant, callido utitur commento, dum nonnullis inculcat bono hoc se Bidelli fecisse, nimirum ut eum pœnâ capitali, quam legis intentaret rigor, exemptum hac ratione servaret; quod tamen non obstitit quò minùs etiam liquidò satis appareret non tam Bidelli hîc ipsum studuisse commodis quàm ejus Adversariorum odio litavisse. Hoc tamen injuriam quadantenus mitigâsse videatur, quod viginti monetæ libros Anglicanæ ipsi postea de proprio numerandos ærario curaverit, ne videlicet sumptu ad necessaria longè semotus ab amicis destitueretur.

Quamvis autem exilium isthoc sua secum incommoda traxit, quatenus veritatis domi propagandæ nec non pietatis amico-

rum

rum animis altiùs inserendæ opportunitatem ad tempus Bidello præclusit, non tamen exigui dulcedine fuit temperatum solatii. Hic etenim ipse dum jugem cum Deo communionem cumque sanctissimis ejusdem oraculis consuetudinem haberet, facile remedium mittigandæ calamitatis acerbitati perquam suave reperit, ut redux tandem factus singulari cum exaltatione suis dictitare haudquaquam dubitaret, se Deo consilium atrox Adversariorum mirâ dirigente Providentiâ hoc fuisse deductum loci, quò hîc talia superni favoris in se munera conferrentur, quorum non alibi fortassis tam extitisset capax. Nam ut aliqua recenseam, non modò hîc ille multorum, quæ in reliquis instrumenti veteris novique libris occurrunt locorum magnis intricatoeum difficultatibus sensum genium est assequutus, sed & plenam veramque, ut nonnulli credunt, Apocalypseôs, quàm Joannes Theologus, per excellentiam sic dictus, dum in Insula Patmos exul propter veritatem ageret à Christo per Angeli Ministerium acceperat, ejusdem favore nactus est intelligentiam. Quid quòd & plus quàm ordinarium suæ de Trinitate Opinionis, quæ tot ei causa perpessionum fuisset, confirmationem hîc se consequutum non semel amicis affirmavit. Et ut cætera nunc mittam divini favoris

munera hic in ipsum ubertim collata, quorum nonnulla quæ qualiaque essent ipse vel dum posset noluit, vel dum vellet nequaquam edisserere potuit; hoc certè eximium vel isto nomine salutare cumprimis ipsi fuit quòd alteri quoque Protectoris Parliamento ne quid durius in ipsum, quippe absentem, decerneret, quod cum ejus foret pernicie conjunctum, obicem posuerit. Cæterum dum ipse in exilio taliter ageret, non sollicita contentus amicorum industria, qui omnem domi lapidem ad procurandam ei libertatem moverent, ipse quoque literas cùm ad Protectorem tum etiam ad D. Calamium, Londini tunc temporis Ministrum ut famâ celebrem sic multùm inter Presbyterianos Authoritate pollentem persuasivis refertas argumentis exaravit quæ tamen nihil ad ipsos pessimo seculi vitio flectendum valuerunt, donec post tres propemodum annos, quos in exilio consumpsisset, amici Londinenses auxilium in lege ipsi quadantenus favente tandem subodorati rem apud Protectorem novis urgendam argumentis egressi sunt. Neque labor iste suo caruit fructu. Mox etenim Protectorem eò facilè inducunt, ne eorum ampliùs obicem conatibus ponat, quin etiam animos interdum hærentibus addat, quò majori cum fiducia quod agendum suscepissent urgendo promoveant. Unde

mox

mox Bidellus virtute mandati, quod *Habeas corpus* Themidis Anglicanæ familia vocat, ab exilio reductus Westmonasterii coram superiori Banco sistitur, cùmque nullum ibi crimen, quod lex carcere dignum pronunciaret quisquam ei valeret impingere, faustis à Joanne Glynn capitali tunc temporis Angliæ justiciario suæ libertati restituitur avibus. Mirari autem hîc ipsius animi magnitudinem atque Constantiam haud immeritò queas. Tot siquidem tamque vanà persequutionis acerbæ mala, quæ domi forisque per tot annos fuisset expertus non ipsum adeò seu frangere sive percellere potuerunt, ut libertatem imposterum, quamvis rem aliqui longè dulcissimam, fidei Christo debitæ præponendam existimaret. Quamobrem etiam mox ad consuetum redit opus seculi interruptum iniquitate, mortalibusq; purissima Christianæ Religionis dogmata unà cum sublimioribus ejusdem arcanis, illis imprimis, quorum ipsum in exilio cognitione favor ornâsset coeli, viribus instillare totis & inculcare rursus aggreditur, cùmque varias de Apocalyptica Bestia, deque Antichristo nec non personali in terris Christi regimine cerneret opiniones non minùs Euangelicæ pietati contrarias quàm præsenti Reipublicæ tranquillitati noxias à fanaticis quibusdam foveri, certam singulis diebus Dominicis

 pome-

pomeridiani temporis partem publicæ in conventu disputationi consecrat, quò cunctis tantò patesceret evidentiùs quàm nullæ fundamentis Scripturæ forent inædificatæ, quàmque ab omni prorsus ratione abhorrerent. Quid autem ipse de iisdem senserit, ex notis eruditissimis, quas in aliquot Apocalypseôs capita postmodum vulgavit facilè lector industrius addiscere possit. Verùm non diu Bidellus hac in palestra sudare potuit. Mox etenim Protector, utpote mensem circiter quintum post ipsius ab exilio regressum, de vitæ curriculo decedit, Filiumq; natu majorem Richardum Cromwell ad habenas Reipublicæ moderandum sibi successorem fortuna suffragante relinquit. Is Parliamentum cogit si cuiquam alii certè Bidello vel maximè periculosum, præsertim quod in ipsum non obstantibus magni momenti negotiis inquirere de industria palam deprehenderetur. Unde etiam factum ut ipse persuasus à viro quodam nobili cujus eâ tempestate authoritas non vulgaris esset vitandi periculi causâ rus se conferet, indèque non priùs quàm Parliamentum dimitteretur, ad amicos in urbem rediret. Verùm profectò nullius unquam tantopere quàm hujus ipsum facti pœnituit, quòd non aliquandiu tam luculenta favoris erga se Dei, quoties ad ipsum recurreret, quàm antea sæpissime documenta

cumenta experiretur. Ac ne circa hoc diutius quàm par sit occupemur, dissoluto Richardi Parliamento Respublica varios experta Rectores mox ad ipsum Regem mirâ vicissitudine redit. Hinc non civilis modò gentem gubernandi ratio, sed & publica Ecclesiæ disciplina, pristino, qualis ante Protectoris Olivarii extitisset dominationem, statui restituitur. Hinc etiam quotquot diversarum in Religione partium essent, eam supremæ authoritatis indulgentiam, quâ paulò antè fruebantur, amittunt, conventusque ipsorum divini cultûs gratiâ passim habere soliti tumultuariæ redduntur obnoxii violentiæ Quocirca Bidellus quoque suetum mox publicè seu docendi sive disputandi seponit institutum, non tamen interim omittens quicquid inter tot difficultates suppeteret opportunitatis, amicorum id utilitati privatim impendere, quamvis eventu tandem haud parùm tristi. Ipso siquidem 1 Julii 1662 è Civis cujusdam ædibus, ubi cum amicis divini cultûs gratiâ convenerat, unà cum iisdem ad Richardum Brownum unum de Magistratibus Londinensibus periniquè raptatur, moxque ejus mandatu publicum in carcerem conjicitur. Et ipsius quidem Browni crudelitas inhumana magis quàm unquam antea statim hîc se prodidit. Quamvis enim nulla obstaret lex quominus istius generis transgressores ad proximum usque Magistratûs ac Judicum con-

sessum Vadimonii possent uti beneficio, non tamen idoneam ille pro ipsis satisdationem admittere voluit, nisi illâ demum conditione, si fidem præterea darent se non ampliùs ritu sueto conventuros. Quod sanè cùm illi salvâ conscientiâ facere non possunt, in squalore carceris hærere sunt coacti, donec Prætor Londinensis majori quàm Brownus legum reverentiâ ductus ipsos dimitteret, postquam datis fidejussoribus cavissent fore ut in proximo comparituri sint consessu, id quod etiam fecerunt. At dum eorum causâ disceptaretur, nullum adduci potuit statutum, cujus violati crimen iis objici posset. Quæcunque enim tunc temporis adversùs conventicula, quemadmodum illis vocantur, extabant statuta, suis singula defectibus isto in casu laborare deprehendebantur. Quare tunc aliud conclusum fuit nihil quàm ut alterum in Consessum causa propiùs cognoscenda differretur: ubi quàm iniquè postea sit cum eis actum hinc facilè cernas, quòd ipsi Bidello quidem centum, idque non tam ullius auctoritate statuti, quàm communis ut eam judicibus appellare placuit obtentu legis, quæ tamen non nisi mera ipsorum voluntas ac placitum esset, reliquorum autem singulis vicenarum summa Marcarum in pœnam sit imposita, sic tamen ut in carcere donec eam numerarent manere compellerentur.

lerentur. Jam verò quamvis reliqui omnes persolutâ quâdam mulctæ particulâ mox suæ libertati restituerentur, longè tamen secus res Bidello successit, quòd se Brownus ei recentes non minùs quàm veteres ob inimicitias licèt admodum iniquis nixas fundamentis, pertinaciter opponeret. Etenim dum Vice-Comes urbis nonnihil jàm esset propensus ad ipsum quoque pro libris decem numeratis dimittendum, quominus id facere posset obstitit profectò nihil prætcrquàm Browni crudelitas, ut qui nullis seu rationibus sive precibus ad consentiendū flecti posset, quin potiùs contrà Bidello minaretur ipsum è carcere non pedem educturum, etiamsi totam mulctæ dependeret summam, antequam annorum septem finiretur curriculum. Neque profectò inane hoc terriculamentum quantum ad ipsius Browni propositum fuit, nisi summus mundi Judex & æquissimus innocentiæ Patronus aliter statuisset. Nondum enim sextum in carcere Bidellus mensem agebat quando morbum ex aëris intus conclusi graveolentia contraxit, qui non perpessionibus modò sed & vitæ ipsius paucos intrà dies finem imposuit. Cæterum ut non extremæ rursus Browni possumus hîc inhumanitatis oblivisci, quòd nullâ eò posset induci ratione, ut ipsum, quò faciliùs impofterum carceris quiret incommoda ferre, valetudinis emendandæ

dandæ firmandæque causâ aliò ad tempus deduci permitteret. Ita nec summam ex adverso Francisci Meynell Armigeri tunc unius Vicecomitum Londinensium humanitatem censemus omittendam, qui non iram Browni quicquam hîc moratus facilè beneficium summâ nixum æquitate Bidello concessit, quamvis id, eheu! nihil ei profuerit: mox etenim altero postquam è carcere fuisset eductus die, qui secundus fuit Septembris anni epochæ Christianorum 1662 ætate adhuc dum validus, ut qui nondum annum vitæ septimum supra quadragesimum esset supergressus Londini proprio in hospitio placidè spiritum Deo à quo eū acceperat non sine magno vel amicorū dolore, vel gentis Anglicanæ damno, quintâ ante meridiē horâ labente reddidit. Ut verissimū hîc deprehensum est quòd plures ante menses non semel amicis dixit se mortem crebris de resurrectione deque futura felicitate meditationibus adeò sibi reddidisse contemptibilem, ut ejus quantumvis alioqui formidabilis adventu atque amaritudine parùm aut nihil se territum iri confideret. Simulac etenim morbo cerebrum acriùs infestante rationis usum nonnihil deficere sensit, amicis qui tunc fortè præsentes erant, quo suæ res essent in loco significavit, seque veluti somnum capturus ipsemet in lecto composuit. A quo certè tempore ad extremum usque

que halitum, octo videlicet plùs minùs horis ne quàm verborum parcus fuerit nunc dicam, adeò jacuit quietus, ut nihil in ipso planè deprehenderetur, quod vel ullius impatientiam doloris vel mortis incumbentis aliquam posset arguere fugam. Quantâ verò spe felicitatis futuræ plenus interim fuerit vel hinc facilè colligi possit, quòd cùm Matrona quædam pietatis eximiæ vires ipsius cerneret jam ferè consumtas atque in hanc velut ei valedicens vocem erumperet, *Utinam in cœlesti regno simus invicem visuri !* statim alteram ipse manum quasi novis ad hoc viribus imbutus mirâ quâdam agilitate sursum elevatam vibraverit, hoc veluti signo palam ostendens quàm sibi votum cordi esset. Non autem hîc omittenda putem quæ mortis ejus jam adventantis non obscurum inter cetera præsagium habuêre. Ut quod in ultimo coram amicis discursu de futuro Christi judicio deque omnibus ejus circumstantiis passim in scriptura proditis adeò plenum elaboratumque sermonem instituerit, ut omnes in summam sui raperet admirationem. Certè haud vana quorundam conjectura fuit singularem quandam Numinis providentiam hîc intervenisse, quò tantus hoc ævo Jesu Christi servus actu tam nobili colophonem docendi laboribus imponeret. Quin etiam circa idem tempus ipsum nonnulli sæpe dicentem audivêre, se nunquam

si

si semel adhuc in carcerem, iniquis adversariorum artibus fuerit conjectus libertati suæ restitutum iri, quo ipso, significare voluit ultimum vitæ suæ terminum isti calamitati alligatum fore. Nec aliò pertinet quòd paulò ante mortem sæpe profundas volvens in animo cogitationes in hæc eruperit verba: *Opus consummatum est*; intelligens quemadmodum se postmodum ipsemet explicuit, veritatem sufficienter jam in lucem esse productam, modò tam essent homines ingenui, ut non eam profiteri detrectarent, atque simul etiam innuens nihil jam pro se quidem amplius restare quàm ut positis mortalitatis exuviis paratum sibi laborum ac patientiæ premium à Judice omnium justissimo lætus accipiat.

Postquam Bidelli vitæ cursum hunc in modum descripsimus haud abs re fuerit aliquid etiam de scriptis ab eo in lucem editis obiter dicere. Non est autem cur hîc ea singillatim recenseamus cùm in tractatu præcedenti suo quodque loco memorare haud neglexerimus. Igitur quamvis ea certè nec numero multa nec voluminibus ampla sint, non tamen dubitandum est quin ab æquis rerum æstimatoribus multorum vastis antepònenda sint operibus, præcipuè si hæc inter cetera paulò propiùs expenderint. Primò quòd ipse quidem author eorum Vir fuerit cui prorsus persuasum esset veritatem ex se captu admodum facilem,

facilem, quippe planam & simplicem, sententiarum non minùs brevitate quàm paucitate delectari, cùm errores ex adverso fucum orationis & ambages de industria perpetuò quærant ne facilè discerni deprehendique possint. Deinde, quòd eadem sint longi temporis studiorum nec non deliberationis quàm exactissimæ partus. Etenim religio semper ipsi fuit quicquam in publicum edere quod non antè crederet talibus esse superstructum fundamentis quæ non ullis facilè concuti machinis labefactarique possent. Adde quòd libelli ab ipso editi non instrumenta modò quibus antiquam cùm de Trinitate tum de aliis etiam iisque præcipuis Christianæ Religionis articulis doctrinam suo primus omnium in Anglia nitori restituit, sed & arma fuerint, quibus errorum monstra nusquam non impunè grassantia fortiter profligavit, ringentibus interim ipsius adversariis. Unde etiam factum ut quoties aliquem prelo subjecit tractatum, cavere non potuerit quin plurimorum innoxiæ veritatis osorum nova in se odia & inimicitias longè gravissimas concitaret. Jam verò si quis hîc fortè mirari se dicat, nihil ipsum adversariis, qui nonnulla ejus opuscula confutare tentâssent, unquam reposuisse, paratam is apologiam pro ipso nos habere sciat, hac imprimis suffultam ratione, quòd nihil in omnibus vulgatis contra se libris adeò
solutu

ſolutu difficile repererit, quod non quilibet ex ſeipſo facilè deprehendat longè minoris eſſe roboris quàm ut fundamenta opinionum ejus concutere poſſit. Prudentiæ igitur hoc tribuendum eſt non imbecillitati cauſæ viriumque tenuitati, quòd cum Logodædalis iſtis luctari penitus detrectaverit. Aſt dum hæc conſideramus videndum ne illud interim omittatur, quòd opiniones ipſe ſuas memoratis explicatas libris, unà cum diverſis aliis, quæ nec numero paucæ, nec ad pietatem parùm conducibiles eſſent, etiam in conventibus non docendo duntaxat ſed & diſputando ſuis auditoribus quoties aliqua ſuppeteret occaſio nequaquam inſtillare neglexerit atque inculcare. Nimirum, ut omnia paucis hîc pertinentia comprehendam, tanto ille profectò veritatis divinæ inter homines propagandæ ſtudio ſemper fuit ductus, ut cùm vix ulla Chriſtianorum ſecta hodie extet, quam non circa unum aut alterum dogma religionis errare deprehenderet, quò omnes in rectam reduci poſſet viam nulli penitus labori pepercerit, quinimo periculis etiam haud vulgaribus ſæpe ſuum, quemadmodum patet ex antedictis, caput objectaverit. Sed nec minor interim promovendæ morum ſanctimoniæ zelus ipſum habuit, ut qui veritatis cognitionem haud ignoraret eam habentibus detrimento magis quàm emolumento fore niſi pie-

tatis per eosdem fructibus exuberet, imò qui veritatem pietatis potissimùm causâ censeret urgendam, quòd neminem, cui mens ignorantiæ tenebris esset obsita, solidam ad pietatem posse pervenire crederet. Atque his etiam strictim memoratis, antequam filum narrationis abrumpamus, haud fortassis ingratum lectoribus fuerit de corporis ipsius & animi dotibus deque virtutibus imitatione dignis pauca quædam superioribus attexere, quæ non tam commodè hactenus à nobis potuerunt afferri. Quantum igitur ad corpus, staturâ quidem ille fuit, ut non curtâ sic nec admodum procerâ, membris aptè conformatis, capillis aliquantùm & fuscis & crispis sed mediocriter promissis, fronte sursum exporrectâ, oculis nigricantibus, pulchro oris habitu & eximiâ majestate vultus. Lingua ad animi conceptus explicandum satis apta claraque, gestibus summâ gravitate temperatis, incessuque erecto & nonnihil concitato, sed qui virum maximè deceret. Adhæc firmâ plerumque usus est valetudine, nisi quòd circa vitæ finem dolor in artuum juncturis genubusque nonnunquam eum infestaret, ex diuturno carceris eoque sæpius iterato squalore prout credi par est contractus: quin & oculorum ex usu nimio legendi tandem hebesceret acies, ut nocturnis ad candelam ab lucubrationibus firmè abstineret; sed ad reliquos quod attinet sensus, nihil eorum integritati defuit. Jam verò si quis interiorem hominis contempletur habi-

tum, is profectò eximius illi si cuiquam nostræ ætati extitit. Habuit siquidē animū ad sublimia quæque fictum à natura atq; formatum, judicium acre, perspicax, minimèq; vagum, memoriam vastam ac tenacem, omniq; tam felicem ex parte, ut non in ipsis modò disputationibus adversariorum argumenta quantumvis prolixa verbatim repetere magna cum audientium admiratione quiret, sed & summam plurimorum quæ perlegisset voluminum adeò retineret fideliter, ut quicquid in quolibet eorum notatu cumprimis dignum occurreret; facilè ubi occasio ferret, edisserere posset. Atque his tam raris à Deo muneribus veluti mediis instructus, adeò omni eruditionis genere capacissima pectoris sui scrinia repleverat, ut meritò Britannici Phœnix orbis ac gloria, nisi invidia obsisteret, nuncupari posset. Et in divinis quidem maximè omnium excelluit, utpote qui nihil unquam antiquiùs agendum sibi statuisset, quàm ut scripturarum arcana scrutaretur, quò ad salutiferam omnisq; adeò solatii plenissimam eorum intelligentiam Dei benignitate pervenire posset. Non autem hîc ille vel Patrum, quos vocant, authoritate duci, vel Theologorum ævi recentioris explicationibus alligari se passus est, quòd longè tutiùs existimaret in omnibus, quæ vel credenda sibi vel facienda forent, simplicem sacri codicis normam & rationes juxta eandem propriæ sequi directionem. Et quia judicii rectitudo normæ rectitudinem sequitur, quò errori hîc

minùs

minùs esset obnoxius, non tam hujus Biblio-rum aut illius fide versionis, quàm textus Originalis niti voluit authoritate. Quàm autem eximiè fuerit in scriptura versatus, hinc etiam intelligi potest, quòd omnes epistolas Pauli, non juxta Anglicam modò translationem, sed & græcè verbatim suâ complecteretur memoriâ: quin & reliquos instrumenti utriusq; libros adeò sibi reddidisset familiares, ut non ullus à quoquam locus, aut etiam ulla cujuspiam loci pars posset unquam proponi, quam non ille confestim ubinam extaret, indicare valeret, id quod ipsi profectò non tantùm in instituendis sermonibus sacris, sed & in disputationibus quà privatis quà publicis magno contra adversarios adjumento emolumentoq; fuit. Cùm etenim tam amplâ semper instructus esset armaturâ, facilè quoties cum adversariis manus conseruisset, ipse quidem illis celeriter confusis atq; profligatis victor à pugna recessit. Hîc tamen ipsius raram non possumus non suspicere modestiam. Quamvis enim plurimos, etiam qui famâ alioqui celebres essent, parasangis post se non paucis in eruditione relinqueret, eâ tamen semper usus est moderatione, ut ne umbra quidem ostentationis in ipso deprehendi posset. N mirum non in privatis modò sed & in publicis disputationibus nil nisi candidam perpetuò simplicitatem spiravit, missisque scholasticorum tricis popularem cum omnibus agendi viam institit, ne quis id ipsum quærere causaretur, quò aut af-

fectatâ quâdam ſubtilitate aut ambitiosâ terminorum obſcuritate aliis, præſertim imperitioribus, poſſet imponere, ſuiq; in animis eorum admirationem excitàre. Quo illud etiam accedit, quòd, cùm ubertim omnia penès ſe haberet, quæ formandæ ex iis, quos ſibi vel potius veritati devinxiſſet, atq; adeò erigendæ ſecundùm antiquam primitivæ Chriſtianorum Eccleſiæ diſciplinam ſocietati ſervire poſſent, ne tamen moliri tale quid videretur, ad quod ipſum adverſarii nullâ prorſus ornatum aptitudine calumniari poſſent, imprimis quòd perſuaſum haberet, ſe non minùs abſq; certis Eccleſiaſtici regiminis formulis, quàm cum illis mortalium poſſe ſalutem promovere, haud ullam iſtis utendi occaſionem, præſertim ad famam ſui nominis propagandam, arripere unquam voluerit. Hæc proinde cauſa fuit cur amicos ſuâ hîc libertate uti permiſerit, nullaq; ipſos ut ſibi, ſic invicem eſſe devinctos obligatione deſideraverit, quàm quæ ex ipſo in opinionibus circa religionem conſenſu nec non ædificationis mutuæ rationibus orta cujuſq; conſcientiam impelleret. Taliter autem ipſe cum aliis converſatus eſt, ut à ſinceritatis Chriſtianæ, debito ſeveritatis condimento temperatæ regulis haud unquam recederet. Nã ut in illorum facilè conſortiũ ſe demiſit, quos pietati deditos zeloq; veritatis accenſos deprehendiſſet, quantũvis alioqui ſortis eſſent contemtæ, ſic è regione multùm ab iis abhorruit, quos morũ ſanctitatis curã abjeciſſe cerneret.

Certè

Certe nè pauca quidem cum homine profano de religione verba miscere sustinuit, præterquàm quòd eum hortari consuevisset, quò planis Jesu Christi præceptis mores & vitam prius conformare disceret, quàm de sublimioribus Euangelicæ pietatis arcanis ullum instituere discursum sua interesse putaret. Sed nec minùs illos fugere solitus est, qui, cùm veritatem nôssent, eam nihilominùs temporalis emolumenti causa profiteri nollent; & ut profiterentur, non tamen candidè circa religionis officia se gererent quatenus serpentinam obtendentes prudentiam, eorum cœtus religiosos frequentare non dubitarent, quos extremè sibi causa veritatis ejusdem scirent esse infensos. Neq; aliunde fuit, quod numerus eorum, qui partes ipsius æquum existimarent sequi, non tam extitiò amplus, quàm si hac seposita justâ severitatis virgulâ comitati promiscuæ litando cunctos ad se studuisset allicere. Non tamen hoc ipsum impedire potuit quò minùs eximium desiderii sui consequeretur fructum, quatenùs in ista quidem paucitate magna non minùs sinceritas quàm in tolerandis propter veritatem perpessionibus constantia emicuit. Jam verò ipsius constantia & fortitudo in causa Christi tuenda, tam fuit eximia, ut, dum aspera cunctorum odia pessimasq; Adversariorum machinationes despiceret, temeritatis à quibusdam, non satis intelligentibus, quosq; pro veritatis decertandum sit honore potiùs

accu-

accusaretur, quàm laudaretur ob dignam veris Christi servis fortitudinem. Certè raram ejus fiduciam, quàm unicè collocatam in Deo habuit, magnumq; adeò rerum ævi præsentis, secundarum non minús quàm adversarum, contemptum, vel hinc animadvertere possis, quòd cum facilis ipsi via pateret ad mollem vitæ conditionem, ac honores seculi, idq; ob præclara virtutum ac eruditionis quibus fulgebat, ornamenta; ipse tamen Dei vocationem ac salutiferæ promotionem veritatis fecit, ut ejus causa, non solùm à prosperis omnibus quæ in hac vita contingere ipsi alioqui poterant, suam penitùs averteret curam, sed & seipsum, ceu victimam, publico devoveret odio inimicorum, atq; adeo cunctis miseriis, necessitatibus, periculis, contumeliis & execrandæ apud omnes memoriæ promptus exponeret. Neq; profectò istis meliora ab hominibus sui seculi unquàm expectavit, animatus interim spe rerum post exantlata vitæ præsentis tæda meliorum. Et sanè patientia videtur perfectum in ipso opus habuisse, dum tam varias tamq; graves afflictiones adeò placidè ac hilariter pertulit, ut ne vel minima contra infensissimos sibi adversarios irâ aut indignatione unquam commoveretur; quin paratissimus semper fuit ad eis non ignoscendum modò, sed & pro viribus benefaciendum. Neq; est cur quis adeò mirari debeat tam eximiè virtutem istam in eo fuisse radicatam, quum maximè sibi semper metu-

erit,

erit, ne dum asperis persequutionum malis exerceretur, ulla in se impatientis animi signa generoso Christi milite non satis digna, conspici possent. Et quod Zelum divinæ spectat Gloriæ, is equidem tantus in eo tamq; constans fuit, ut nec violenta Adversariorum crudelitas, nec ignava quorumdam amicorum frigiditas, quicquam ei delibare unquam potuerit, quinimo hisce exercitus incommodis vires potiùs & augmentum sumpsit, instar ignis, quo tempore hyberno ab inclementioris aëris antiperistasin ardet vehementiùs. Rara ejus prudentia adeò in omnibus vitæ ipsius partibus semper emicuit, ut vulgò pro homine callido & politica subtilitate res suas tractante haberetur, quanquàm nemo esset, qui candidius & majori cum simplicitate cum quoquam ageret. Ad hæc maximè consideratus fuit atq; sobrius in colloquiis ac sermonibus suis, ut nihil unquam ore emiserit quod impuritatem, stultitiam, aut scurrilitatem, aliquam saperet, quemadmodum nec alios talia coram se loquentes ferre potuit. Castitas in eo tam admirabilis fuit, ut cuncta ipsius membra manifestè viderentur exactam raræ isti virtuti & strictissimis ejusdem regulis obedientiam didicisse. Quam non avidè res mundanas captaverit, hinc facilè discas, quod curam earum planè insuper habuerit, contentus iis, quæ pro tempore præsenti necessariis usibus suis inservire possent. Et quamdiu suo ipsius labore ac industria acquirere potuit quantum vitæ licèt duriter tolerandæ,

randæ, & corpori utcunq; amiciendo sufficerent, ne ab intimis quidem amicis quicquam accipere voluit, quamvis ab ipsis liberrimè sibi foret oblatum: nisi quòd post exactam septennalem istam sui restrictionem, de qua nonnihil suprà loquuti sumus mensæ ac hospitii beneficium ipsi ab amico Londinensi, nolente aliter contentus esse fuerit impositum. Devotionem ipsius dignam memoratu censemus, ut qui dum suas Deo preces commendaret, ad exemplum viginti quatuor seniorum, de quibus in Apocalypsi legimus, solitus esset humi non raro se prosternere, commendans istum morem adorandi etiam amicis sibi maximè charis. Neq; contentus esse voluit statis temporibus devotioni suæ dicatis, sed & alias semper ad coelestia mentem elevatam habuit, non tantùm dum solus suis meditationibus vacaret, verùm & cùm in aliorum esset consortio, quibus maximè devotam erga Deum pietatem suam frequentibus indiciis quamvis alioqui de industria celatis detexerit. In summa nihil hic deerat viro quod ad perfectæ virtutis ac solidæ pietatis laudem requiri posset, quemadmodum libenter illi fatebuntur, qui paulò diligentius vitam ipsius ac conversationem perspexerunt. Ad quam certè perfectionem non aliter ille pervenit, quàm quatenus ad eam sollicitè & singulari cum alacritate persequendam acquirendamq; animatus fuit firma persuasione non tantum de possibilitate ejus sed & ad obtinendum salutem necessitate, quam alii, quibus carnalia cordi sunt desideria, nequeunt admittere. *Finis.*